



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Specvlvm Ivventvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve
Adolescentiae Sanctorvm**

Bosendorf, Hermann

Monasterii VVestphalorvm, 1615

Ladelinus Abbas 15. lunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42900

perducti sunt, ubi paulo post corporeis soluti vinculis ad cælos migrârunt.

EXEMPLVM B. LANDELINI ABBA-
tis Crispinensis. 15. Iunij. Surius

Tom. 3.

*Amans
virtutis.*

*Peruerti-
tur à cog-
natis.*

Fit prado.

LAndelinus claris Francorum natalibus, in villa quam Vallem vocant, ciuitate Cameracensi, Dagoberti inclyti regis temporibus ortus, Autberto Antistiti, qui eum de facto fonte susceperebat, literis & pietate imbuendus traditus est. Cumq; & insita naturæ bonitate, & optima præceptoris educatione non mediocres in omni virtute progressus ficeret, prorsus vt relictis mundi vanitatibus, se totum Deo consecrare proponeret, quidam eius cognati venenatis sermonibus eum ab amore rerum cælestium planè abduxerunt, falsisque promissis eo impietatis optimæ indolis iuuenem impulerunt, vt reliquo clanculum Autberto, nefandis se totum sceleribus tradaret, actandem cædibus ac rapinis prædonum instar, se suamque familiam turpissem inquinaret. Et vt liberius huic insisteret negotio, mutato nomine Maurosum se appellari voluit, scilicet ne nomen quandoque proderetur. um, qui se in perditionis latebris totum abdidat. Interea Autbertus Pontifex, quamquam incredibili mœrore affectus propè contabesceret, non tamen salutis eius spem perditus abiijciebat, sed precibus varijsque cor-

poris

poris afflictionibus, die nocteque diuinum numen fatigabat, ut errantem ouiculam tandem aliquando in viam reduceret. Nec despexit Deus preces supplicantis. Cum enim nocte quadam insigni flagitio diuitis cuiusdam domum cum socijs diripere statuisset, & quidam ex eius complicibus è vita excederet, Landelinus morte eius vehementer afflicatus, vedit per soporem miseri illius animam (horribile dictu) in Tartarum abduci. Cumq[ue] non sine ingenti tremore id aspiceret, astitit ei Angelus Domini, eumq[ue] in hunc modum terrifica voce compellauit:

*Angelus e-
um ad pœ-
nitentiam
hortatur.*

En præmia laboris tui Landeline. Vide ut anima socij tui ad inferorum æterna suppli- cia pertrahatur: simulq[ue] considera, vtrum tibi præstabilius sit, ita protrudi in barathrum æstuantis gehennæ, an nobiscum potius gaudijs perfrui sempiternis. Misericordia fac opera Satanæ, & amplectere Christi militiam. Abiuce obscurati pectoris cætitatem, ut possis intueri clarissimam Christi lucem. Excute iamiam à ceruicibus tuis iugum diabolicæ seruitutis, ut post breuis humilis virtus curricula possis eternum regnare cum Christo. Audi beatum Autbertum antistitem, & agnosce spiritualem patrem tuum. Suscipe libens ab ore eius monita cælestis doctrinæ. Hæc & alia multa cum Angelus dixisset, cælos petijt. Landelinus autem

eo

Conuersio.

eo visu non mediocriter terræfactus, relicis
socijs, & rebus suis omnibus, pedes Camer-
cum festinat, & S. Autberti pedibus se aduolu-
uens, orat pro admisis criminibus pœnitentia
mulctam sibi irrogari. Ille vero pius pater
eius gratulans conuersioni & desiderio, suscep-
pit pœnitentem, quem diu profugum fleuerat,
sinum q; ei diuinæ misericordiæ aperiens, redi-
didit eum sanctæ matri Ecclesiæ. Itaq; sub se-
culari habitu degens in monasterio agebat
pœnitentiam, macerans corpus ieunijs, quod
mundi illecebris contaminauerat. Atq; tan-
dem diuturna excoctus pœnitentia, statuit
mundi à se negotia omnino rejcere, vt posset
liberius cælestia iugi meditatione pertracta-
re. Quocirca à B. Autberto tonsus, militiae cæ-
lestis chlamydem induit. Eo autem diuinæ
gratiæ munere affectus, vt peregrinationis et-
iam labore se affligeret, Romam ad limina A-
postolorum se contulit. Quem B. Autbertus
reducem, ob virtutis & sanitatis præclarum
specimen Diaconum ordinauit. Præstitit ve-
ro illi Deus tantum ardorem & compunctionem
cordis, vt bonorum cœnobitarum vita
minime contentus, magis ac magis diuino se
cultui impenderet, & cum gemitibus & lacry-
mis crebro se ieunijs, vigilijs & orationibus
affligens, vitam sanctorū æmularetur, nec vli-
lam suo corpori requiem indulgeret, quin po-
tius idipſū inedia, nuditate, frigore, siti, alijsq;
reb' duris ac molestis maceraret atq; cōficeret.

Ad o-

*Pœnitentia.**Contristio.**Afflictio corporis.*